



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Petri Danielis Huetii Demonstratio Evangelica

Huet, Pierre Daniel

Parisiis, 1679

XVI. Samuel,

urn:nbn:de:hbz:466:1-16260

PROPOSITIO IX.

apparuit Angelus Domini, & dixit ad eam, Sterilis es & absque liberis, sed concipies, & paries filium: cave ergo ne bibas vinum ac siceram, nec immundum quicquam comedas: Mariae matri Jesu ait Angelus, Ne timeas, Maria, invenisti enim gratiam apud Deum; ecce concipies in utero, & paries filium, & vocabis nomen ejus Jesum. Pergit Angelus ad Samsonis matrem: Erit enim Nazareus Dei: de Jesu sic Matthæus: Et veniens habitavit in civitate que vocatur Nazareth; ut adimpletur quod dictum est per Prophetas, Quoniam Nazareus vocabitur. Iterum Angelus de Samson, Ipse incipiet liberare Israël de manu Philistinorum: de Jesu sic Angelus: Ipse enim salvum faciet populum suum a peccatis eorum: & apud Lucam: Dabit illi Dominus Deus sedem David Patris ejus; & regnabit in domo Jacob in aeternum, & regni ejus non erit finis. Manuæ Samsonis patri, de filii ortu dubitanti, visus est Angelus: apparet & Angelus Josepho patri Jesu, conjugis pudicitiam suspectam habenti. Addit Auctor libri Judicum de Samsonis matre: Peperit itaque filium, & vocavit nomen ejus Samson; crevitque puer, & benedixit ei Dominus; & crevitque spiritus Domini esse cum eo: de Maria sic Matthæus: Peperit filium suum primogenitum, & vocavit nomen ejus Jesum; de quo sic Elizabeth apud Lucam: Benedictus fructus ventris tui; & iterum Matthæus: Baptizatus autem Jesus, confestim ascendit de aqua, & ecce aperti sunt ei caeli, & vidit Spiritum Dei descendentem sicut columbam, & venientem super se. Samsonis nomini Solis significatio inest; שמש enim Solem sonat, שמשו vero Solem eorum; sic enim exponit Hieronymus: de Jesu sic Malachias: Orietur vobis timentibus nomen meum Sol justitiae. Uxorem Philistæam ducit Samson, eique intimos animi sensus aperit: Ecclesiam ex Ethnicis cogit, sibi que adjungit Christus, camque decretorum suorum interpretem constituit. Samson ad uxorem visens, obvium leonem interficit, in cujus ore post aliquot dies favum mellis reperit: J. us Ecclesiam constituens ait, Confidite, ego vici mundum. Atque hio quidem mundus adversus Jesum prius ferox, ab eo tandem domitus suave ipsius accipit jugum, melleanque Evangelii dulcedinem degustavit. Samson sitiens valde clamavit ad Dominum: Jesus animam agens sitire se dixit. Samson Gazæ dormit ad mediam noctem, tum exprobratus postmodum ipsas portas detrahit, & humeris impositas defert ad verticem montis: Jesus lethi somno excitus, de mortis exit potestate. Quod previdens David, ait: Domini, Domini exitus mortis: de quo item Petrus sic diserebat Hierosolymis: Quem Deus suscitavit, solutus doloribus inferni, juxta quod impossibile erat teneri illum ab eo. Samson multo plures interficit moriens, quam ante vivus occiderat: Jesus morte sua Dæmonem, peccatum, ac mortem ipsam devicit.

XVI. En tibi in Samuele aliam etiam Christi Jesu imaginem. Partus ille fuit Samuel, matris sterilis, perinde ut Samson: Christus Virginis. Nazareus etiam fuit, eaque re, itidem ut Samson, Christo similis fuit. Unigena Samuel, unigena & Christus. De Samuele hæc legimus: Puer autem Samuel proficiebat, atque crescebat, & placebat tam Deo quam hominibus: hæc de Christo Jesu: Et Jesus proficiebat sapientia, & ætate, & gratia apud Deum & homines. Iterum de Samuele: Crevit autem Samuel, & Dominus erat cum eo: sic quoque Lucas de Christo: Puer autem crescebat, & confortabatur, plenus sapientia, & gratia Dei erat in illo. Sacerdos fuit Samuel: sacerdos & Christus. Prophetæ etiam uterque.

XVII. Sed & David, non vaticiniis duntaxat suis, nec quod Bethlehemo ortus itidem ut Jesus, sed gestis etiam rebus toto vitæ curriculo Christum Jesum præmonstravit, expressumque ejus typum postfuturis proposuit; & cum jussu Dei unctus est, & rex creatus; & cum esu Panum propositionis sacerdotem se gessit; utraque in se conjuncta & sacerdotii & regni potestate: & cum singulari adversus Goliathum certamine, populum jugo Philistæorum exemit; perinde ut Jesus expugnato Diaboli imperio humanum genus in libertatem Filiorum Dei restituit: & cum variis illud laboribus & angustiis exercuit Deus, priusquam ad regiam dignitatem eveheret: & cum Arcam à Philistæis prius captam de domo Abinadab reduxit Hierosolymam; itidem ut Jesus Ecclesiam, fracta Diaboli potestate, certis sedibus constituit: & cum post traditum illi regnum, filiorum suorum perduellionem & scelera expertus est; perinde ut adversus Jesum regem patremque nostrum nova quotidie flagitia designamus: & cum pacem per eum Deus populo suo peperit, & adversas ipsi gentes subjecit; quemadmodum pacis à Deo nobis concessæ sequester est Jesus, cui potestas omnis à Patre tradita est. Inde adeo apud Prophetas, Isaiam, Jeremiam, Ezechielem, & Osæam ipsum, Davidis nomen Christo tribuitur.

XVIII. Nec minus in Salomone agnosci potest Jesus. A pace Salomoni nomen: quam pacificus fuerit Jesus fuisse in Parallelismo probavimus. Appellatus quoque est Salomon דוד, hoc est, Dilectus Domini: idem de Jesu clara voce Deus ipse